



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Conradvs Archiepiscopvs Salisbvrghensis Ex Principe Schirensivm Familia
Orivndvs, Comes Abensperghensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. CONRADVS
 ARCHIEPISCOPVS SALISBURGENSIS EX
 PRINCIPE SCHIRENSIVM FAMI-
 LIA ORIVNDVS, COMES
 ABENSPERGENSIS.



Onradus hic multis nominibus inter cælitæ & sidera Boiorum collocatur. nam & gente domoque Boius, & acerrimus libertatis Ecclesiasticæ assertor, adeoque alter Athanasius in perferendis ob religionem exilijs, & ingentem animi aduersus rem diuinam ardorem, aliâque regias virtutes vt mox cognosces. Patrem habuit VVolframum dynastam Abenspergensium, auum Babonem ex principe familia Schirensium ortum, quæ hodie imperat in Boica, VVolframus trigemini fuere filij Conradus hic noster, & Otto Comes, ac VVolframus.

Conradus per duos fratres paterna hæreditate exutus, ad Henricum Imperatorem confugit, cui primum fuit ab sacris, mox Iuauensis pontifex designatus, cui auctor fuit Paschalis II. Pont. Max. à quo & stola sacra, quam *Pallium* appellant, cultus est, año 1110. c. vi. in quo munere ita se gessit, vt omni posteritati exemplum pietatis, constantiæ, religionis, inmortale reliquerit. Nam primum collegium sacerdotum in ordinem redegit, & legibus S. Augustini deuinxit, vt Canonici ab regula dicerentur. Erant in vno simul omnes contubernio quatuor & viginti, vt hodie viri religiosi institutis addicti, communi mensa, tecto, supellectili, parique cultu corporis utebantur, eoque in statu sacer ille patrum Salisburgensium senatus ad annos quadringentos tredecim eoque amplius durauit: quem primus Salisburgi vertit Matthæus Langius VVelleburgius episcopus Gurcensis, Cardinalis, archiepiscopus Salisburgensis ex Langa Patritia Augustana & Maximiliano primo Imperatore natus, vt est in epitaphio Maximiliani, in quo Langius Maximilianum suum genitorem & patrem appellat:

Cardinalis loquitur,

O Caesar, felix genitor, quo tuus in orbe
 Et mox,

X 4

Ergo

1110. C. XLVII.

Otho Frising. Syn-
 chron.

Auctor vite S. Geb-
 hardi Archiep. Sa-
 lzburg. apud Can-
 t. 6. ant. lect. pag.
 1140. 2. f.

Baron. annal. XII.
 anno 1111.

Chron. Reichenberg.
 Hund. metrop. Sa-
 lib. p. 9. c. stemm.
 Elund. l. 2. stemm.

p. 2.

Ergo colis superos sine sollicitudine campos,
Dive pater? ---

Hirsaug. Chron.
an. 957.

Lib. 7. c. 14. pag. 78.

Olim plerique omnes summæ ædis Canonici, S. Augustinile-
ges & viuendi regulam sequi cogeabantur. Sic enim Trithemius:
Eodem anno moritur Rupertus Archiepiscopus Treuirensis, cui Henricus successit,
qui regulares officinas & claustrum S. Petri construxit & regulam Canonico-
rum ibidem obseruari præcepit. Hæc est maior Ecclesia Treuirensis in qua hoc
tempore sicut & in ceteris antiquis Ecclesijs, Canonici secundum regulam eius præ-
scriptam in communi vivebant; unam habentes mensam, unam bursam, unum-
que commune dormitorium, sicut hodie inter nos (inquit Trithemius Mona-
chus) iuxta normam nobis propositam conuersamur. Hoc ergo primum
fuit ab Conrado editum specimen pietatis; dein cum contra Cæsa-
rem schismaticum pro pontifice staret, tam constanter se gessit, ut
ferrum etiam jugulo intentatum recipere paratus fuerit. Iuuat O-
thonis Frisingensis verba ad fidem subscribere: Anno abhinc tertio ex
omnibus regni visceribus infinito contracto exercitu, Romam iturus Imperator
per montem Iouis Pyrenæum transit, ac in plano Italie residens iuxta Padum mi-
litem recensuit. In comitatu eius xxx. millia equitum electorum fuerunt, ex-
ceptis his qui ex Italia ad eum confluerant, tantumque castrorum ambitum, qui
adhuc superstites sunt, fuisse tradunt, ut visu vix penetrari potuisset. In plano
ergo Italia castra metantes, unusquisque militum ante papilionem suum lumen
nocturnum accendit, quod ad humanam ostentationem gloriæ factum, quantum specta-
culum indigenis in tam amplo ambitu præbuerit, dicere non oportet. Inde castra
mouens, Apenninum transcendit, opidumque quod Pons tremulus vocatur, na-
tura locorum, ac altissimis turribus munitissimum, transitum prohibens, expu-
gnauit & cepit. Post hoc per Tusciam iter agens, Ariciam in robore membrorum
ac altitudine turrium confidentem, eo quod ciues eius Urbis, ecclesiam S. Donati
extra muros ne sedes episcopalis ibi haberetur, destruxissent, ad solum usque pro-
stravit. Verum Nouariam Liguriæ ciuitatem dum per Longobardiam pergeret,
ceperat, ac igne cremauerat. Multis ergo tam in ulteriore quam citiore Ita-
lia, quæ modo Longobardia & Tuscia vocatur, fortiter gessit, ad urbem progre-
ditur. Ibi à Paschali Papa cum Clero & populo Romano in urbe Leonina ante
fores B. Petri cum crucibus & thuribulis, alijsque ecclesiasticis seu forensibus or-
namentis stante & aduentum eius præstolante, cum maximo tripudio suscipitur.
Ipse autem præfatum pontificem, consilio quorundam sceleratorum, cum magna
tamen reuerentia captiuauit, ac Ulrico Aquileiensem patriarchæ custodiendum
commisit; sicque tumultu orto ac omnibus preciosis rebus ad decorem & regale fa-
stigium expositis immaniter distractis, in luctum versus est gaudium. Occasio
autem sceleris huius hæc fuit: quod rege Romam tendente inter ipsum & papam
conuentio facta, ab obsidibus firmata narratur, ut scilicet rex inuestiuras episco-
porum

porum remitteret, & Papa ipsi regalia eorum resignaret. Itaque dum Romanus venisset, ac à pontifice promissa sibi persolui exegisset, Papa, eo quod reclamantibus Episcopis, ea quæ petebantur adimplere non posset; tanquam nocens, cum per omnia esset innocens, custodia mancipatur. Videns hoc venerabilis luauensis Ecclesiæ Archiepiscopus Conradus, qui cum rege venerat, Zelo aequitatis vicent Deidolens, factum hoc improbanit. Cui dum quidam ex ministris regis, Henricus cognomento Caput, euaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro iustitia mori optans, jugulum præbuit, malens, si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi scelus dissimulare. Chronicon Reicherspergense ante annos C. D. conscriptum & nuper ab Christophoro Geuoldo V. C. editum rem mirificè illustrat: Anno CIO. C. XI. Henricus rex junior cum multo Episcoporum aliorumque principum comitatu ad urbem Romam tendit ad acceptionem imperialis coronæ, quam etiam veniens ingreditur, præstitis ante iuramentis ac data fide de pace Romano pontifici atque urbi integre conseruanda. Iamque ventum erat in medium Ecclesiæ B. Petri, ubi de iustitijs hinc inde conseruandis ac tenore concordie inter sacerdotium & regnū tractare conuenit. cum sellis hinc inde prolatis confessum est circumstante consertim corona armatorum. Proferuntur in medium literæ de parte regni ad Romanum pontificem directæ, & quesitum per Cancellarium domini Papæ à domino rege eiusque Cancellario, an eas suas à se missas recognoscerent. Cumque responsum ab eis fuisset, etiam, eadem in palam literæ lectæ, scilicet promissa domini regis ad dominum Papam continentis, similiter & ex parte regis literis, quæ à domino Papa directæ fuerant, in medium prolatis, responsum est, itemque literæ in publico recitatæ, quæ domini Papæ ad regem promissa continebant, ut superius paulò dictum est. Dūque promissa eatenus inaudita Episcoporum aures percellerent, cognoscentes se & Ecclesias suas occasione imperialis coronæ regis capiti imponendæ spoliandos antiquis possessionibus, quasi ex uno ore contradicebant; aientes se regi coronam imperialem tanto suarum Ecclesiarum detrimento emere nolle. Cumque & armati circumstantes eos minis & terroribus perurgerent, quasi jam interficiendos nisi consensissent, & huonradus luauensis Ecclesiæ Archiepiscopus quasi signifer inter Episcopos, utpote nobilior & honoratior cæteris, etiam ad caput potius amputandum, quam ut ad ea quæ petebantur, consensum præberet porrexit. Et dum clamor hinc inde confusus aliquandiu percrebuisset, rex cum indignatione & motu animi surgens abire cepit. Sed & dominus Papa ex præcepto militum cum rege & post regem abire compulsus est. Hinc præda grassatur, hinc cædes ciuium Romanorum, pro pastore suo quem liberare cupiebant, morientium: captini quoque domini Cardinales & Clerici trahuntur. Omnia siquidem ostia Ecclesiæ obseruata fuerant ne quis liberè effugere potuisset. Episcopi videntes quæ fiebant, gemere & facinus detestari, sacrilegium clamitare. Multa vero & inenarrabili cæde in ciues

Romanos

Romanos perpetrata rex abiit, & dominus Papa cum eo. Clerici autem tenere educati funibus traherantur ab equitibus, quos illi ut poterant, sequebantur, per plateas, luto profundo ac tenaci vix emergentes. quidam etiam inter manus trahentium, & ad currendum hastis transversis cogentium spiritum exhalauerunt. Qui vero superfuissent per nocturna tempora vel saccis inclusos, vel catenis aut alijs vinculis, ne fuga elaberentur, inclusos seruabant, donec eis pecunias aliquas extorsissent. Et dominus quidem papa ducebatur & seruabatur in custodia. Honorabant vero eum nihilominus episcopi, aliique timentes eum, donec ei rex multis minis & terroribus coronae imperialis benedictionem in ipsa captiuitate extorsit, & donec obtinuit in ipsis tentorijs priuilegiū de retrahendis omnibus regalibus ad Imperium quale voluit. Pro qua re vniuersi pene Francia episcopi consilium inierant, quatenus excommunicarent ipsum Paschalem papam, tanquam ecclesiae hostem & destructorem, nisi priuilegium idem ipse qui dedit damnasset, quod & fecit. Nam in generali concilio residens postea, iam absolutus, ad stipulante ei multitudine episcoporum cum domnis Cardinalibus idem priuilegium, quod ei captiuitate fuerat extortum, damnauit, omnibus regibus, qui eodem priuilegio ad dehonestandam ecclesiam vel aporiandam vterentur, aliquando maledictionem pro benedictione firmissimè ac terribiliter inducens. Non immeritò ergo Sanctum vocat Baronijs nostrum Conradum, In actis, inquit, S. Gebhardi lunauiensis siue Salzburgerensis archiepiscopi antiquitus scriptis ab auctore eius temporis haec de S. Conrado eiusdem ecclesiae archiepiscopo leguntur, quae ab hoc anno & ex eadem causa secuta sunt mala. Quae porro post hanc aureis literis consignandam Conradi aduersus Imperatorem constantiam, passus sit, vix vlla stili atrocitate explicari potest, alterum Athanasium dixeris. Audi quae scriptor vitae S. Gebhardi de Conrado subiungit: Exinde, inquit, odium Imperatoris & eius fautorum in tantum incurrit, ut in eius persecutione, sicut de B. quondam Athanasio legimus, totum pene conjurauerat regnum & commoti sunt principes terra, nec vllus locus tutus supererat ad latendum, dum ad inuestigandum eum omnes mouerentur. Infra vallem Admutensem, in cuiusdam spelunca montis dimidium pene annum est occultatus. Rursus eiusdem infra monasterij cellulae ambitum in cellario subterraneo xvi. hebdomadibus latitauit. In cuiusdam gurgite amnis usque ad mentum immersus diem integrum exegit. Inde clandestino discessu Saxoniam petens à Magdeburgerensi archiepiscopo venerabili Adilgoz nomine officiosissime susceptus est & retentus, qui etiam quotquot ad ipsum patrem nostrum Chunradum Salzburgerensem episcopum occulte ob metum Caesarianorum pedites veniebant, multis muneribus honoratos, equites remittebat. Miseratione diuina, pace redintegrata, ecclesiae à Luitpoldo Stirensi marchione in manu sorti requisitus ad suam honorifice post nouem annos reductus est sedem. Rursum ecclesiae propria strenuè inuigilauit, & inter ceteros eiusdem Salzburgerensis

gensis ecclesie dignos per ipsum profectus maioris ecclesie Clericorum vitam in melius informavit, & communem vitam Canonicorum S. Augustini ibi instituit, anno dominice incarnationis CIO. C. XXI. Denique idem auctor de eiusdem morte apponit, Memoratus autem pie mem. dominus Chunradus archiepiscopus ab initio ordinationis sue, usque in finem vite sue, ecclesiam nostram misericorditer fovens & protegens preciosumque ac preclarum opus monasterij, quod heu postea incendio perijt, marmoreis columnis apud nos instituens quadragesimo secundo episcopij suo anno senex & plenus dierum V. Idus April. felici fine quieuit. Anno incarnationis domini CIO. C. XLVII. dignus utique qui cum Neemia Deo dicere possit, Memento mei Deus in bono & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in cerimonis eius. Exceptis enim duobus monasterijs sanctimonialium in Chiemsee & Gosse, qua illum audire noluerunt, qua ipsum contempserunt, nulla ecclesia vel monachorum vel clericorum aut sanctimonialium in toto eius episcopio fuit, qua non aut sub ipso constructa, aut per eum in rebus interioribus aut exterioribus meliorata & augmentata fuerit. Ipse ergo accipiat benedictionem a domino & misericordiam a Deo salutari suo. Ipse nempe dilectus est Deo & hominibus cuius memoria in benedictione est. Hic est diuinitus directus in expiationem provincie Salzburgensis, qua tulit abominaciones impietatis, & erexit nobis cornu salutis & totius religionis. Fuit autem nobilissimis ortus natalibus, patruus videlicet duorum Comitum de Ambinberch Ottonis & Rapotonis. Hundius, Hic, inquit, Conradus Gurcensi episcopo copatu suam diocesin & suos terminos dedit. Rexit ecclesiam annis XLII. moritur anno CIO. C. XLVII. senex & plenus dierum, vir sanctus & pius sepultus est ante altare

S. Erentrudis.



B. OTHO